Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1149

Quelle:
Copyright:

contentione Codicis cum vulgatis ejus Scriptis conſtare poſſet. Negat ille in *Apologia* edit. *Operum Pariſ.* 1616. 4. praefixa: reperiri Librum aliquem a ſe ſcriptum, qui *Sententiarum* dicatur. Quomodo igitur *Bernardus Capitula* contra illum ſcripta et ad *Innocentium* II. miſſa ita concludere potuit: *Haec autem capitula partim in libro Theologiae Magiſtri Petri, partim in libro* Sententiarum *ejusdem, partim in libro, cui titulus eſt, Scito te ipſum, reperta ſunt?* Citat *Abailardus* haec ipſa verba; ego vero illa in *Bernardi* edit. *Pariſ.* 1690. T. II. *col.* 640. et *ſeqq.* non inveni.

Egregium Codicem poſtice munit mancum quidem Diploma, quo *Albertus* II. Epiſcopus *Friſingenſis* e Comitib. *de Hohenberg* a. 1350. *honorabilem Virum Vlricum Pincern* — — in poſſeſſionem mittit *Capelle ſancti Leonhardi per mortem honorabilis viri Nycolaij Prepoſiti Monaſterien.* vacantem. Fundaverat et dotaverat eam *Henricus* I. Ep. qui obiit a. 1137. et ad eam condi voluit. Vide *Meichelbeckii Hiſt. Friſing.* T. I. P. I. qui P. II. p. 535. etiam Donationes recitat.

CCCCLXIII.

R. 1120 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 127. f. min. elegánter exaratus, literis initiorum auro, coloribusque variis, et rubricis diſtinctus, olimque Collegii S. J. *Vienn.* hunc titulum praefert: *Incipit prologus libri de ſacramentis. ab initio usque ad finem in unam ſeriem diſpoſitis.* Autor, qui tacetur, eſt *Hugo de S. Victore* Can. Reg. defunctus a. 1140. cui igitur Codex praeſens aetate par eſſe poſſit. Initium Prologi eſt: *Librum de ſacramentis chriſtianę fidei ſtudio quorumdam ſcribere compulſus ſum.* &c. Hic tu per *Sacramenta* non Sigilla novae legis gratiam conferentia, ſed univerſa Religionis noſtrae Myſteria, atque adeo totam paene Theologiam dogmaticam intellige, quam *Hugo II. Libris* complexus eſt. Hi *Libri* in *Partes*, hae vero in *Capita* abeunt. *Liber* I. qui ſolus hunc Codicem implet, *Partibus* XII. definitur, atque harum Elenchus continuo Prologum ſubſequitur. P. I. C. 1. breve Praefamen habet hujus exordii: *Cum igitur de prima eruditione ſacri eloquii, quę in hiſtorica conſtat lectione, compendioſum uolumen prius dictaſſem* &c. Vides Autorem innuere Tractatum ſuum *de Scripturis et Scriptoribus ſacris*, cui proinde noſter *de Sacramentis* pone ſubire deberet. At vero Editores *Operum Hugonis Rothomag.* 1648. f. eos ita divulſere, ut ille quidem *Tomum* I. auſpicetur, hic autem *Tomum* III. ſeu poſtremum terminet. Contuli quodamtenus editionem mox memoratam cum Codice, vidique eam noſtris e lectionibus perfici poſſe. Ita v. g. in illo Praefamine Edita *in quo ſi fundamento*, Codex *in quo quaſi fundamento*. Ed. *ut animus aliquid*, Cod. *ut animus legentis aliquid.* Cap. 2. Ed. *ſive iis quae ſubſequun-*